



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 21. Ludovico Rixoso vita functo succedit Philippus Longus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

per Inquisitores Dominicanos cogniti ad Sæcul.XIV.
 rogum damnati sunt. Sed obstinati o- A.C.1316.
 mnes supplicium cum gaudio subiere:
 ac ne unus quidem pœnitentiam præ
 se tulit. Isti hæretici viam stravere
 illis, qui postea in Bohemiam Germa-
 niamque venerunt.

§. XXI.

*Ludovico Rixoso vita fundto succe-
 dit Philippus Longus.*

Rex Philippus Pulcher tres reliquit fi-
 lios, Ludovicum jam Navarræ Regem,
 utpote hæredem matris Reginæ Joan-
 næ, Philippum Pictavii & Carolum Mar-
 chiæ Comites. Ludovicus tanquam *Cont. Nang.*
 natu maximus accepit Franciæ coronam: *p.659.*
 erat hoc nomine decimus, & cogno- *Bal. v.to.I.*
 mento Rixosus audit ob iræ impetum, *p.113.*
 ac juveniles nimium mores suos.

Anno 1316 Pictavii Comitem suum
 fratrem misit, ut ad mentem Regis
 Philippi Pulchri Cardinales Lugdunum,
 si posset, adduceret. Comes semestri
 prope spatio id conatus, tandem eos nu-
 mero viginti tres Lugdunum congrega-
 vit, cum juramento pollicitus fore, ut
 nullam eis violentiam inferret, neque
 conclavi ad electionem Papæ includeret.
 Rebus sic constitutis comperit Regem Lu-
 dovi- *p.179.*

Sæcul. XIV. dovicum fratrem suum decessisse die
A.C. 1316. sabbati ante festum SS. Triadis quinto
 Junii, cum solummodo decem & octo
 p. 115. mensibus regnasset. Fluctuabat animo
 Comes Philippus, nec Lugduni hæren-
 dum sibi diutius, nec infectum electionis
 negotium relinquendum ratus. Adhi-
 biti consiliarii judicabant jusjurandum
 de Cardinalibus non concludendis fuisse
 illicitum, & ideo non esse observan-
 dum. Tum vero convocatis in cœno-
 bium Dominicanum Cardinalibus expo-
 suit ipsos haud inde dimissum iri, ante-
 quam elegissent Papam: positisque, qui
 eos egressu arcerent, custodibus, Pari-
 sios rediit. Quia Rex Ludovicus Cle-
 mentiam conjugem suam prægnantem
 reliquerat, Comes Philippus nominatus
 est regni Gubernator interea, dum na-
 sceretur soboles.

§. XXII.

Joannes XXII Papa.

Cardinales pridie festum S. Petri vice-
 simo octavo Junii anno 1316 concla-
 ve ingressi quadragesimo post die, nem-
 pe septimo Augusti, sabbato ante fe-
 stum S. Laurentii una omnes voce coo-
 ptarunt Jacobum Elusanum Cardina-
 lem Episcopum Portuensem. Cadurci
 humili natus genere per bonum inge-
 nium